DISSERTATIO MEDICA

DE

GANGRÆNA NOSOCOMIALI.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JACOBUS GREGORY,

SCOTUS;

CLASSIS REG. BRIT. CHIRURG. ADJ.

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC. EXTRAORD.

——— Nullius addictus in verba.

HOR.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXII.

ROBERTO THRESHIE,

DE BARNBARROCH, ARMIGERO;

PROPTER MORES SUAVES,

ET

VIRTUTES PROBAS, INTEGRASQUE

SEMPER COLENDO,

HOCCE OPUSCULUM

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

DICAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

DE

GANGRÆNA NOSOCOMIALI.

AUCTORE J. GREGORY.

NATURA benigna vulnera, laesionesque reficit, corporisque integritatem vi prorsus mirabili reducit. Hanc autem actionem salutarem diversae saepe causae perturbant et impediunt.

Ex his venenum quoddam in ulceratorum sauciorumve frequentia interdum genitum, summum dolorem et labem pessimam movet ; ideoque medici cura atque studio maxime dignum est.

De vi ejus contagiosa, de morbi natura ab eo facti, et de modo curandi optimo multum discrepant auctores; quaedam igitur proferre, pauca quidem et levia quae mihi occurrerunt, tanquam argumentum dissertationis inauguralis non ineptum esse videtur.

In sua Nosologia, Clarissimus CULLEN huic morbo locum non dedit; et definitionem reddere non audenti, haec pro solitis ejus signis proferre fortasse licet. "Gangraena "valde dolens, forma circulari serpens, li-"neâ rufâ circumdata, ex contagio et ple-"rumque cum febre."

Nomine proprio quoque hic morbus caret; a quibusdam enim "Sloughing Ulcer," aliis "Malignant Ulcer," aliis "Gangrenous "Phagaedena," aliis "Pourriture Hopitale," aliis denique Gangraena Nosocomialis sive Hospital Gangrene appellatur. Ex his ultimum, ut quod usitatissimum est, selegi.

DE INDICIIS.

Duobus fere modis, hic morbus incipit. In ulceris ora, cavum parvum profundum valde dolens, sanie tenaci fusca contectum apparet: saepe duo vel plura quae sensim coëunt. Reliquae ulceris partes, eodem tempore, nitidae et probe conglutinantes supersunt. Corpus adhuc parum interdum vel nihil afficitur: plerumque tamen lingua alba, cibique fastidium et dolor capitis sunt.

In corpore morbo obnoxio, praecipue in ulcere magno recenti indicia prima diversa sunt. Æger horroribus, nausea, dolore capitis, aliisque incipientis febris signis corripitur. Secretio puris supprimitur, caroque crescens pallida, flaccida et planior redditur, humoreque tenaci, qui membranam refert, obducitur, et partes eminentes quasi sanguine tinctae sunt.

Hoc vitium partem solummodo contusam * vel prius omnino integram † aliquando aggredi dicitur. In his exemplis et ubi solutio continuitatis parva recensque est, a vesicula materie nigra repleta incipit.

Post paucos dies, inter tres et septem plerumque, quocunque modo primum morbus se ostenderit, crusta nigra, humida, intumescens supervenit, quae lineâ lurida-rubra ad dimidium pollicem vel usque ad pollicem latâ circumdatur. Pro modo febris, corporis habitu, partis vascularitate et aliis causis mox proponendis, per tempus brevius, longiusve, citiusque vel tardius, crescere et profunditate et latitudine haec crusta pergit.

Febris, eodem tempore, ingravescit ; pulsus celeres et plerumque debiles fiunt, cutis calida et arida est, vultus summa anxietas, corporis macies (quanquam secretiones om-

* Vide TROTTER's Medicina Nautica.

† GILLESPIE's Diseases of the Fleet.

nes saepe minuuntur) vigilium et summa virium defectio aegrum exercent: interdum cum delirio.

Vitii decedentis, dolor et febris leniores facti lineaque circumducens per inflammationem adhaesivam rubrior, indicia sunt. Si omnia recte procedunt, dolor et febris mox decedunt, crustamque caro crescens pus bonum effundens sejungit; et hoc modo ulcus, quod paucis diebus triplo vel quadruplo amplius factum est, cito conglutinatur.

Morbum tamen recidivum esse solere multum dolendum est, et nisi summa cura adhibita fuerit, saepe ante sanationem plenam in pejus ruere. Crusta decedente etiam, ex plaga praesertim profunda, (veluti ex vulnere sclopetario, membrive praecisione aut quae os fractum subjacens habet,) partes re sordida coloris cinerei perstant obductae; oraeque tumidae et reversae quasi hiant.

Si tela cellulosa tantum correpta fuerit, caro interdum renovatur flaccida et inaequalis, partesque eminentes striis quasi sanguineis obductae et frustula crustae albidae in cavis apparent.

In talibus morbi conditionibus, exulceratione et corruptione singulatim vel conjunctim partes saepe longe lateque delentur, ita ut membrum totum pereat; neque nisi ex ejus praecisione ulla vitae spes superest. Ubi hoc non fit aut fieri non potest, vel sanguinis fluxu ex vasis morbo patefactis, vel convulsione, vel viribus penitus fractis aeger tollitur.

Telam cellulosam praecipue corrumpit hic morbus, et saepe musculos quasi scalpro nudatos reddit, atque ita multo longius nonnunquam serpit quam ex aspectu suspicari licet. Cutem tamen et musculos facile, fasciasque et ossa saepe, arterias tendinesque interdum vitiat. Haec fiunt aut ex propria corruptione aut ex disjunctione, telâ cellu-

losâ deletâ, ab aliis partibus. Arteriae autem vix ob hanc causam, secundum DELPECH, tendines vix ob illam vitiantur.

Hujus morbi cursus et indicia, per coelum, anni tempestatem, victus rationem et morbos antecedentes, ut etiam per medicamenta intus adhibita vel parti admota multum afficiuntur et quodammodo mutantur. Historiam ejus veram et naturae consentaneam auctores conjecturas suas immiscendo adhuc difficiliorem collectu reddiderunt. Alii enim morbum semper localem esse asseverant; affectionesque generales quae simul occurrunt ad consensum, vel typhum aliumve morbum conjunctum referre volunt. Alii contrà signa generalia semper praecedere sed aliquando ita mitia ut vix notari possint, suspicantur. Nodum hunc scindere non solvere, fortasse videatur, duas dare species, unam huic, alteram illi opinioni convenientem; sed rem ita se habere mihi diu persuasum est. Una, a cavo vel vesicula jam dicta incipit, febremque nullam vel non nisi post

diem quintum, habet; altera a febre incipit crustâque membranosâ jam descriptâ. Prima species "ulcereuse" nominatur a Delpech. Secunda autem eadem esse videtur quae species ejus "Pulpeuse" dicta; nisi quod negat affectionem generalem idiopathicam unquam praecedere localem vel se ostendere donec crusta satis magna apparuerit. Has species autem gradu tantum et vi discrepare et neque genere neque natura, èo clare constat quod eodem loco et tempore alios saepe unâ, alios alterâ correptos esse videmus.

Sed ad rem illustrandam, atque causas quae huic morbo opportuniores reddunt, historia brevis quorundam quae in meum conspectum inciderunt, fortasse juvabit.

Nonis Aprilis statim post hiemem anni 1814, saevam, navis bellicosa a Britannia ad coelum calidum iter faciens cum militibus classiariis nautisque quingentis, ventis adversariis procellosisque, duos menses et supra detenta est. Priusquam ad portum perven-

tum est exempla erysipelatis phlegmonoidei quaedam et febris continuae inciderant.

Inter terrae latitudinis gradum tricesimum et tricesimum et sextum per reliquum annum vario cursu navis commorata est. Nyctalopia, diarrhoea biliosa, dysenteriaque subinde apparuerunt, nulla autem scorbuti signa; quanquam fruges rarius obtineri potuerunt, et aqua fere semper subamara (Anglice "*brackish*") et salsa fuit. Succi citrici autem et sacchari uncia una fere quotidie cum potu ardente diluto solito nautarum et militum infusa fuit. Ulcera tamen irritabilia, sanatu difficilia fuerunt; partes etiam vesicatae magis solito inflammatae et exulcerationi proclives, quinetiam saepe ulcusculis gangraenosis obsessae fuerunt. Muscarum morsus ("*Mosquitoes*" vocant) etiam saepe exulcerati fuerunt. Mox, nullo commercio, ex quo contagium oriri potuit, habito, in ulceris ora subito apparuit fossa parva profunda dolens fusca, quae citissime increvit, et die quarto cutis integrae linea rubra dura

eam circuivit. Die sequente, hanc fossam et cutem inflammatam, massa tumida, mollis, nigra, pessime olens, novâ lineâ circumdata, mutationem eandem subitura, tenebat.

Haec corruptio, priusquam ulterius progredi desierat, ad diem duodecimum cum summo dolore processit. Dolor capitis, pulsus paulo citatior, lingua alba et fastidium cibi, a die octavo ad quartum decimum accesserunt, et signa omnia corporis male se habentis fuerunt. Crusta quae valde tumuerat, biduo multum subsedit, punctis plurimis discessit, et septem diebus omnino disjuncta fuit.

Verisimile tamen est morbi cursum mutatum esse per remediorum naturam. Hoc in exemplo purgantia adhibita fuerunt; frigusque, compressio et succus Citri Medici parti admota fuerunt. Ulcus probe conglutinans, priusquam penitus sanatum est, bis eadem peste implicitum fuit; et morbus

ita increbuit, ut per menses tres, plerumque triginta simul afficiebantur.

Speciem mitiorem a puncto incipientem, plurima ulcera vetera habuerunt; dum vulnera recentia magna vel sclopetaria vel contusa, specie graviori jam descripta correpta sunt. Formam saevissimam tamen in quatuor hominibus, levis abrasio ostendit, et os paucis diebus detectum et nigrum fuit. Notabile est hoc contigisse iis qui nuper in navem conscenderant.

Ad aponeurosin usque, neque altius in quindecim exemplis corruptio penetraverat; et in his post crustae decessionem, partes fibris et frustulis materiei sordidae cum parco tenui humore vix ullis remediis semovendis obductae persistebant.

Summa cura ad contagium arcendum adhibita fuit et ad prohibendum commercium aegrorum cum sanis, sed parvo cum beneficio ut apparuit, donec hieme acceden-

te ad alia salubriora loca transmigratum fuit. In hac nave, aliquando ex contagio, saepius ex habitu corporis, victusque ratione et coelo insalubri oriri morbus apparuit.

DE CAUSIS.

Ex ulceratorum, sauciorumve frequentia hunc morbum pendere, multa experientia comprobat; sed quum haec frequentia saepe, morbus tamen rarius ocurrat et interdum in loco optime perflato supervenit, alias causas subesse facile concedendum est.

Omni tempore, multo tamen saepius autumno calido et humido; omni loco, saepius tamen in ferventibus, paludosis, insalubribus ut in Batavia vel Minorca, apparet. Robusti potu ardente mobiles facti obnoxiores ei sunt. Fatigatio, affectus animi tristes, ventriculi cruditas et quicquid denique corpus infirmat, contagii actioni favet.

Vulnera pro magnitudine superficiei aëri objectae huic morbo opportuna sunt. Ulcera specifica non adeo obnoxia sunt, interdum tamen corripiuntur; et actionem, sicuti carcinomatis, specialem nonnunquam deleri, aliquando saeviorem evadere dicitur.

Per plurimas observationes comprobasse hoc vitium saepe pendere ex victus mutatione ad plenum a parco et acri, Doctor TROTTER videtur; nam in navibus vel in portu vel qui eum paulo ante relinquerant, creberrime grassatum esse invenit. Inter nautas et milites dieta ex carne magis incitans redditur, potu ardente et vegetabilium negligentia. Inter pauperes in valetudinaria receptos, haec victus mutatio haud raro fit, et cum aliis causis ad morbum inducendum conspirare potest.

Contagium hujus morbi nisi per compagem corporis solutam vix unquam agit; et per aërem se diffundendi vim parvam habet. Nam in uno aulae valetudinarii termino, om-

nes fere correptos esse, in altero omnes integros perstare interdum videmus. Idem vero facile et longe linteamentis et vestibus et etiam instrumento chirurgico, permeare a narrationibus POUTEAU et DELPECH clare constat.

Ex typho saepe oriri et vicissim hoc contagium typhum saepe facere a multis * dicitur. Sed huic opinioni multae res adversantur, et certe ab experientia non satis comprobatur.

Ex dejectionibus dysentericis et in uno exemplo, a " gangraena senili," ortum esse a DELPECH traditur: sed de his quoque observationes plures desiderantur.

Hujus contagii, uti omnium origo, tenebris densis involvitur. Catena causarum ejus tota nunquam conspicitur; vinculum

---

* DELPECH, MOREAU et aliis.

nunc unum tamen, nunc alterum patefactum est. Ex his, ulcera male detersa et spongia ex uno ad alterum admota frequentissima esse videtur causa. Talis negligentiae effectus, in appendice libri de Diabete Doctoris ROLLO, clare et optime ostenduntur. Ubi corpus huic vitio parum opportunum fuit, vix ultra stadium primum speciei mitioris (ulcerationem nempe et secretionem puris imminutam) morbus intendebatur.

Ophthalmiam, erysipelas, peritonitidem, catarrhum, dysenteriam aliquando contagiosos reddi videmus; quanquam ex natura propria tali potestate non praediti sunt. Et opinione et argumentis Doctoris TROTTER non obstantibus, hunc morbum ex habitu corporis peculiari (quem in Gangraena Nosocomiali efficienda multum facere jam notavi) omnino pendere, nullus dubito quin aëris mutationes obscurae, fortassae nunquam detegendae ad hoc contagium gignendum multum conferant. Hic morbus enim robustos et imbecillos, plenos et tenues vex-

avit ; et sub eadem curatione, eodem loco et simili tempestate nunc defuit, nunc apparuit.

DE DIAGNOSI.

Inter Gangraenam vulgarem et Nosocomialem dictam, ex causarum diversitate, signorum et cursûs discernimus. Priorem inflammatio valida et calor plurimum auctus praecedunt. Post livorem dolor levatur vel deficit, et pars sensim nigra et flaccida fit; lineâ autem ruberrimâ flexuosâque circumdatur. Gangraena partis debilis a certis causis, veluti typho graviore, pressura, frigore, arteriarum in os conversione bene dignoscitur. Gangraena autem Nosocomialis calorem parum auctum habet, crustam ab initio nigram et mollem, vehementerque dolentem et formae circularis.

Phagedaena proprie dicta, huic morbo similitudinem magnam habet; per cutem autem plus serpit et fere cum absorptione ul-

cerativa jungitur. Eadem, cum habitu ex causis plerumque obviis depravato, nexum habet; formaque circulari, oris tumidis et vi contagiosa caret. Interdum phagedaena contagiosa fit; sed tum eundem morbum atque Nosocomialis esse, et iisdem remediis sanari credo.

Ulcus scorbuticum, ichore sanguineo, massâ coaguli quasi sanguinis, quae si ex ulcere submota sit, cito renovatur, maculis sanguinis subter cutem effusis, et signis aliis scorbuti discernitur. Febris et species gangraenae nosocomialis desunt.

Ulcera saepe sordida fiunt vel etiam nigrescunt, ubi corpus se male habet, praecipue ex typho vel erysipelate, et timorem ulceris contagiosi movere possunt: manifesteque opera danda est, si locus confertus est, ne res ita fiat. Dolorem summum et alia propria gangraenae nosocomialis signa non habent, et morbus qui comitatur discrimen clare ostendit.

DE PRÆSAGIO.

Ad praesagium formandum, coelum, locus, anni tempestas, corporis habitus, corruptionis sedes et processus, febris natura et vis, in animo judicantis versanda sunt. De his igitur in ordine.

In coelo calido, praesertim si humidum est, et in autumno, morbus gravior erit. Locus humilis, aquosus, paludosus, male perflatus, et morbum intendendo, et quia recidivum saepe facit, nocuus est.

Si inter alios eodem morbo correptos, veluti internavigandum aegrotus necessario detinendus est, judicium dubium esse debet. Si habitus corporis nimio labore cum victu pravo vel morbis praecedentibus confectus est, vel ex potus ardentis usu assiduo, hydrargyro vel aliis causis imbecillus et mobilis redditur, sanatio multo difficilior erit.

Bene cognitum est morbos, diversis tem-

poribus formas proprias induere; ita ut omnes solito longiores, magis acuti, mitiores vel graviores fiant: et si de ullo vitio, de hoc praesertim verum est. Morborum igitur qui tum grassantur ad naturam et vires respicere debemus; scilicet ex quo conjecturae utiles de futuro morbo formari possint.

Supra caput vel truncum corporis situs malum est; vicinium vasorum majorum periculosum; vulnus ex membro praeciso vel osse fracto hac contagione correptum fere mortiferum est. Quo citius febris ingravescit, quo plura typhi indicia habet, quo magis vires fractae sunt, eo plus timendum est.

Febris autem non nisi post crustam superveniens, inflammatoria, cito decedens; crusta inflammatione activa circumscripta, cum pure crasso albo madens; dolor exurente et pungente lenis et pulsatilis factus; lingua nitida, cibi desiderium naturale, somnus placidus, aër purus, locus et tempestas salubris felicem exitum pollicentur.

DE CURATIONE.

Curatio in eam quae corpori et in eam quae parti idonea est; item in eam quae ad accessionem morbi vel ad reditum arcendum apta est, diducitur. Adversus hanc pestem nullum medicamentum proprium est; et quod praecipitur variat multum, secundum anni tempestatem, locum, aegri habitum febrisque naturam.

Sanguinis missio paucis tentata est, sed ab experimentis quorundam Medicorum a Doctore Trotter prolatis saepe utilem fuisse colligimus. Quidam eorum dicunt plerumque non crustam sed exulcerationem modicam solùm partis vitiatae, post ejus detractionem occucurrisse. Hennen autem usum ejus commodum ex anni tempore et febris natura pendere luculenter ostendit. Gangraena, inquit, in valetudinario quodam militari per autumnum, cum signis imbecillitatis ita gravibus accidit, ut ad excitantia

necessario confugisset. Incipiente autem frigore et aëre densiore siccoque, morbus ita mutatus fuit, ut sanguinis detractio et ad sanandum, et ad intercludendum morbum valeret. Dr TROTTER sanguinem per hirudines ex partibus vicinio mittere proposuit. Sed metus est gangraena supervenientis; quoae etiam dicitur post venae sectionem timenda est. Sed venam saepe impune incisam esse hoc in vitio bene cognoscitur; contra experientiam igitur conjecturae valent parum. Nec quia vena propter alios morbos adaperta hac peste correpta est, adversus scalpelli usum argumentum validius est. Nam hic morbus parum proclivis est, nisi materies noxia protinus admovetur, ad plures partes implicandas; ita ut cum debita cura periculum parvum sit.

Argumentum melius, ut credo, allaturus est ille qui objicit hunc morbum plerumque longum esse, viresque multum fracturum et parum inflammationis activae habere. Si pulsus autem validi et duri sunt, cutis cali-

da, habitus corporis integer, vere et hyeme praecipue, et tutam et utilem sub initio sanguinis missionem esse, credo.

Ubi haec ita non sunt, vomitorium, ut a Pouteau et aliis praeceptum est, adhibere forsitan commodum erit.

Corpus aquâ frigidâ perfundere, ex ejus in febre typho utilitate, Doctor Thomson* proposuit. An hoc unquam periclitatum sit, et cum quo fructu, nescio.

Alvum liquare, plurimorum consensu convenit, atque hoc somnum saepe gratum dolorisque levamen, frustra ex opio speratum, conciliavit. Neque hoc mirum erit, si consideremus consensum arctum qui subest, inter organa quae cibos concoquunt et eliminant, caeterasque corporis partes; quo nempe nervi sedantur, incitantur, variisque modis afficiuntur.

* Lectures on Inflammation.

Opium in gangraena interdum valde utile, in hoc vitio parum valet, et nimis incitans esse videtur. In stadio provectiore autem, somnum inducendo, doloremque leniendo salutare est. Camphorae usus eodem consilio a POUTEAU multum laudatur.

Cinchona adversus morbum ipsum prorsus inefficax; ad vires sustinendas reficiendasque in vitio longiore valet; modo cura adhibita sit ne ventriculus graveretur. Eodem consilio vinum, sed caute, adhibendum est.

Pro remedio refrigerante acida diluta utilia sunt; et eorum usus a BOYER multum laudatur. Diaetam autem primùm tenuem et ex frugibus esse oportet; mox secundum aegroti vires et morbi signa caute adaugenda est.

Remedia quae ad partem admota sunt, in ea quae emolliunt, ea quae incitant et ea quae comburunt, dividi possunt. Cataplasmata emollientia valde esse inimi-

ca* bene confirmatur, profusiones sanguinis et corruptionem partis majorem efficiendo. Neque cur hoc ita fiat, ratio latet. Per calorem moles sanguinis augetur, impetus a tergo adaugetur, atque ita vasa manifeste multum distenta plus dilatantur. Praeterea venenum humore solutum latius fortasse et altius fertur.

Frigus modicum contra, aliorum remediorum actionem multum adjuvat, et ejus usui compressionem aequalem Chirurgi praecipue Classis Britannicae conjungunt. Fasciae apte admotae ab extremis partibus ad affectas et supra, dolorem levare, distensionem minuere, et incitamentorum actioni favere videntur. Cura autem adhibenda est inter has admovendas ne penecilli ita crassi subjiciantur ut pressuram nimis validam et partialem efficiant, et ita saniem detineant evaporationemque cohibeant.

---

* "Medicamenta vero dum malum serpit, adhibenda nulla sunt, quae pus movere consuerunt, ideoque ne aqua quidem calida."—Celsus.

Plurima remedia excitantia adhibita sunt; sed praecipua tantum notare opus est. Ubi levior morbus est, acetum vel succus Citri Medici saepe ad sanationem morbi valet. MOREAU, LARREY et plures alii haec laudant.

Partis superficialis in ulcusculis, veluti partis vesicatae oris, spiritum vini commode adhibitum vidi. Usus ejus dolorem optime lenit, vitiumque saepe intercludit. LA MOTTE hujuscemodi remedia commendat; LARREY autem eorum usum vituperat, quia, ut dicit, crustae sejunctionem prohibet, suppurationemque coercet. Argumentum conjecturale esse videtur, quod ducitur ab ejus in res mortuas actione: opinio autem hominis tam experti summo studio digna est.

Praestantissimum remedium kino in vino solutum, Dr. GILLESPIE * in India Oc-

*Vide Librum antea citatum.

cidentali compertus est. Ex historia tradita, labem scorbuticam, morbum ab illo descriptum comitatam fuisse videtur; et in conjunctione simili remedium periclitatione dignum esse videtur.

Muriatis ammoniae solutio, acida mineralia diluta, et oleum terebinthinae singula suos fautores habent; et manifeste modo hoc, modo illud commodius est: quinetiam incitamenti ipsa mutatio saepe utilis est.

Cataplasma effervescens interdum admovetur, sed plerumque, ut vidi, pondus et calor ejus, dolorem et malum auxerunt. Pulvis carbonis ligni melius imponitur, praesertim si vitium serpere fere desiit. An reddendo saniem mitiorem, minusque absorptioni aptam, an aliter valuerit, nescio. Si crusta tardius separetur, secundum actionis languentis indicia, nitratis potassae pulverem, pro rata parte, admiscere saepe valet. Fateor tamen multum doloris et fortasse majorem, certe citatiorem partis laesi-

onem, priusquam inflammatio adhaesiva partes mortuas cohibuit, ejus usum comitari.

Blackadder in libro ejus de hoc morbo haec omnia sine modo improbat: ejus verba sunt, "nothing aggravates the disease "so much as those applications which are "strictly termed stimulating substances," et idoneam curationem esse dicit, "by con-"verting the sore and its immediate vici-"nity into a dead slough or eschar." Tamen plagis a membro praeciso adurentia applicare non ausit, et linimentum ex terebinthina vel pannos vino aut aceto madefactos solummodo imposuit.

Remedium adurens ab illo commendatum et quasi speciale allatum, liquor arsenicalis est Doctoris Fowler. Hic in levi et recente morbo duabus, in graviore una aquae parte diluitur, per linteum admovetur, et singulis semihoris renovatur, donec crusta sicca partem contegit et dolor ure ns

lancinansque desinit. Haec, ut dicitur, inter horas duodecim et viginti et quatuor plerumque fiunt; deinde par modus unguenti resinosi et olei terebinthinae calidorum ad crustam rejiciendam adhibetur. Scriptores Gallici nuperrimi eodem concilio ignem admovere inculcant, et DELPECH plagas etiam profundas fecit quò partes omnes vitiatas attingere posset. In experientia Doctoris ROLLO, solutiones nitratis argenti vel hydrargyri commode adhibitae fuerunt. Sed morbus ab illo descriptus manifeste partis tantum fuit; et quanquam BLACKADDER et DELPECHE rem ita semper se habere (nisi conjunctus morbus sit) contendunt, tamen huic opinioni historia vitii adversatur.

Opinio tamen JOANNIS BELL* a veritate multo magis distat, morbum ita a corpore pendere, ut remedia ad partem parum valeant, et mitia (e. g. aqua acetatis plumbi,) op-

* Principles of Surgery.

tima esse. Aliquando autem hanc commodissimam esse curationem, nempe ubi febris inflammatoria est, nullus dubito. Dr Trotter vidit mala magna ab usu inter initia salium metallicorum; et recte, ut mihi apparet, dicit hos utiles praecipue esse in crustis subsequentibus.—Si corpus tamen parum mobile est et nulla febris, saepe inter initia etiam, adurentia, vel vera vel chemica, ad morbum curtandum valere possunt.

Ad crustam citius rejiciendam et ad prohibendum ne morbus redeat, incitamenta lenia necessaria sunt.

Si membrum ita hoc vitio laesum fuerit, ut ejus praecisio necessaria sit, actio vitiata remediis idoneis prius, si fieri potest, mutari debet; nam alias denuo renovabitur.

De morbo arcendo praecepta proponere quam iis obsequi multo facilius est; sed in re summi momenti, omnibus viribus niti pro facultate nos oportet. Ubi igitur hic

morbus apparuit, aegros sejungere quantum fieri potest, debemus ; et hinc velatoria incommodissima optimo valetudinario interdum praestare* comperta sunt. Spongia eadem nunquam pluribus ulceribus admovenda est; et multo melius erit ea detergere stupa vel linteis quae protinus semovendae sunt. Fasciae et instrumenta vestesque et stragula ab aegro amotae quam primum in aquam bullientem vel in acidum dilutum submergi debent.

Ad munditiem et ad ventilationem summa cura adhibenda est ; ut etiam ad exulceratorum habitum corporis, ne ex cruditate vel aliis causis huic vitio procliviores fiant.

In aula conferta ulcera vel plagae per quam brevissimum tempus, quo bene curari possint, detegi debent.

Ad morbum faciendum res unctuosae vel

---

* Vide Blane on Diseases of Seamen.

cataplasmata* quam remedia astringentia et absorbentia propensiora sunt.

Ubi res angustae commoda jam notata prohibent, vapores acidi minerales ad morbi extensionem praeveniendum utiles erunt; " saltem valeant, quantum valere possunt."

---

* Boyer " Maladies Chirurgicales."

FINIS.